



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Guido Conf. 12. Septembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

572 VITÆ SANCTORUM. 12. Sept.  
negavit THEODORAM, sed tamen infamis mulierculæ operâ patrem mentitus est. Poterat se ipsam absolvere Theodora sexum fatendo, sed maluit suum sub alieno scelere scelus luere. Itaque pulsa cum infante septem ipsos annos propter Monasterii fores jacuit cæli hominumque injuriis exposita. Denique cætera miracula, & morientis apud cælites gloria Cœnobiarchæ ostensa, adductusque eodem temporis articulo maritus, mors ipsa denique palàm orbi fecerunt feminam fuisse Theodoram, sed quam viri imitarentur. Ex Metaphrast.

*Meliora mihi amici vulnera, qua Christus accepit ut sanaret me, quam voluntaria inimici oscula, quibus mihi per illecebras delectationum caro male sua d blanditur, ut quasi parricidiali Judæ osculo paratis in captivitatem meam prodatur inimicis. S. Paulin. ep. 2.*

S. GUIDO CONF. 12. Septembris.

**E**TIAM GUIDONEM humili genere natum ad astra virtus evehit, tutissima eorum scala, qui generosi humi obrepere detrectant. Natalem terram Brabantia dedit. Puer non prius animo hilari esse unquam potuit, quam aut preces Deo, aut egeno stipem dedisset, quam ubi non habuit, ipse scilicet coëgit, mendicorum mendicabulum. Adolefcens

12. Sept. VITÆ SANCTORUM. 573  
lescens *Virginis* templo operam suam  
æditimus addixit, gnarus cæli portam  
esse, quam curaret. A tam sancto mu-  
nere cum à mercatore persuasus mare  
conscendisset, & ventos & Superos ad-  
versos sensit, quin remo manum tam-  
diu eximere non potuit, quousque hanc  
redux. *Virginis* aræ supplicem tedendit,  
manifesto in hujus transfugas exemplo.  
Sanctius postmodum iter instituit, cum  
Romam & Hierosolymas aliosque Chri-  
stianis vestigiis nobiles locos petiit, sep-  
temque ipsos annos talem se, quales  
omnes sumus, peregrinum vendidit.  
Hinc cum fesso *Deus* quietem donare  
vellet, in lectulum dejecit. Hoc cum  
æger Andarlaci decumberet, columba è  
cælo multo lumine corusca advolavit, si-  
mul vox audita est, quæ ad coronam di-  
lectum invitavit. Enimverò lubens pa-  
ruit. Orbe scilicet pererrato, restabat  
ut astra viseret; quam viam an illi ju-  
venes insistant, qui Gallias nunc & Ita-  
lias petunt, tibi, qui hæc legi iudicium  
esto. *Ex Surio.*

*Quâ presumptione non diliges illum,  
qui te non diligentem dilexit, qui te pec-  
cantem non despexit? Vide quæ sô quâ  
compensatione quo merito summa & æternæ  
respondeas Trinitati. S. Bern. op. ce char.  
c. 27.*

S. MAU-